quem quasi in persona sua pergere ad dei hominem precepit. In cuius obsequio tres qui prae ceteris adherere consueuerant comites misit. scilicet Vult. Ruderic. et Blidin. ut ante serui dei oculos ipsum esse regem totilam simulantes ei lateri obambularent. Cui alia quoque obsequia atque spatarios prebuit. ut tam ex eisdem obsequiis quam ex purpureis uestibus rex esse putaretur. Cumque idem riggo decoratus uestibus obsequentium frequentia comitatus, monasterium fuisset ingressus: uir dei eminus sedebat. Quem uenientem conspiciens, cum iam ab eo audiri potuisset: clamauit dicens. Pone fili pone hoc quod portas non est tuum. Qui riggo protinus in terram cecidit. et quia tanto uiro illudere presumpsisset expauit: omnesque qui cum eo ad dei hominem ueniebant, terre consternati sunt. Surgentes autem ad eum propinquare minime presumpserunt. Sed ad suum regem reuersi nuntiauerunt trepidi in quanta uelocitate fuerant deprehensi.

Tunc per se idem totila ad dei hominem accessit. Quem cum longius sedentem cerneret non ausus accedere sese in terram dedit. Cui cum uir dei diceret bis terque: surge. sed ipse ante eum de terra erigi non auderet: benedictus ihesu christi domini famulus per semetipsum dignatus est accedere ad regem prostratum: quem de terra leuauit. de suis actibus increpauit. atque in paucis sermonibus cuncta que erant illi uentura prenuntiauit dicens. Multa mala facis, multa fecisti. iam aliquando ab iniquitate conpescere. Equidem romam ingressurus es: mare transibis, nouem annis regnabis: decimo morieris. Quibus auditis rex uehementer territus. oratione petita recessit: atque ex illo iam tempore minus crudelis fuit. Cum non multo post romam adiit. ad siciliam perrexit, anno autem regni sui decimo, omnipotentis dei iudicio: regnum cum uita perdidit.

Preterea antistes canusine ecclesie ad eundem dei famulum uenire consueuerat: quem uir domini pro uite sue merito ualde diligebat. Is itaque dum cum illo de ingressu regis totile et romane urbis perditione colloquium haberet: dixit. Per hunc regem